

matris opprobrio condempnatus. Et demum tot et tantis abhominacionum sceleribus constipatus, de Altissimi paciencia factus durior, quia despectus a Deo frustra corripitur, et in diem perdicionis servatus, de pie matris clemencia magis exasperans, nec Deum timere novit, nec hominis faciem revereri.

Tantium igitur compassionibus amaricata malorum sancta mater ecclesia vos¹ zona sue virtutis attingit, ne multos tradere videatur exicio, si negligat multorum exicia cogitantem. Succurrimus vobis² in dextra benignitatis et adiutorii salutaris; elegimus viriliter agentem virum, sapientem, roboratum, morum splendore fulgentem, salubritate consilii perspicacem, zelum pacis et divine legis habentem, operis et sermonis potencia premunitum, venerabilem scilicet fratrem nostrum Ebredunensem archiepiscopum³, quem de fratrum nostrorum consilio ad partes illas duximus destinandum, quatinus ambulans semitas Dei nostri evellat et destruat, edificet et plantet, extendens lineam direccionis in prava et reducens super aspera vias planas, cumque auxilio dextre virtutis Dei obstetricante manu eius educatur ille coluber tortuosus⁴.

II. (Ottobonus, Cardinaldiakon von S. Adrian) empfiehlt (König Ludwig IX. von Frankreich) den heiligen Stuhl von Antiochien mit Personen und Gütern zu wohlwollendem Schutze. (Etwa 1260—1261?)⁵.

Incarnata sapiencia, verbum patris, que suis erant futura prenoscens, usque in seculi consummacionem ecclesie sue adesse promisit et pro Petro, super quam petram ipsam fundaverat⁶, oravit ad patrem, ut non deficeret fides eius⁷. Quamvis igitur incipiens ab infancia nascentis ecclesie, eciam per tempora crescentis quasi continuatis procellis mare multarum perturbacionum ipsam impulsu violento concusserit, super firmam tamen fundata petram, quassari potuit ventorum et fluctuum rabie, non submergi, cum assistens ei sponsionis sue non immemor Dei filius, homo et redemptor hominis Iesus Christus, aut vim persecucionis

1) 'nos' Hs. 2) 'nobis' Hs. 3) Heinrich, vgl. B-F-W. 14097.

4) Iob 26, 13. 5) Sichere Anhaltspunkte für die Datierung fehlen; vgl. etwa die Massregeln von 1260 zum Schutze des heiligen Landes (Rayn. 1260 §. 34); am 5. Juni 1262 empfiehlt Urban IV. das griechische Kaiserreich dem Schutze Ludwigs (Potth. 18350). 6) Vgl. Matth. 16, 18.

7) Luc. 22, 32.